



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. XI. Creaturas nec omnino esse, quia Deus non sunt, nec omnino non esse, quia à Deo sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

phantasmata conclusit, *Deus veritas est* (id enim ab ipso Deo Augustinus audivit, sicut auditur in corde) *Veritas per nulla locorum spatia diffunditur, ergo Deus mole magnus non est. Si veritas corporea est, erit & divinitas.*

d Non erat prorsus unde dubitarem) Et hic Sextus est gradus S. D. ad perfectam veritatis Catholica agnitionem: intelligere Deum esse incorporeum. Assentior I. r. virt. S. D. c. 26. autem Cornelio Lancelloto, internum illud Dei responsum: *Imo vero ego sum, qui sum, fuisse veram revelationem, divinitus Augustino factam; quæ non aliter corporea phantasmata, quam sol nebulam discussit: & nec dubium quidem, de incorporea summæ veritatis ac divinitatis natura, reliquit.*

V S V S.

I. Advertens S. D. evanuisse superbos Platonicos, inde ad seipsum rediit, spreta stulta illorum Sapientia. Quare Deus elevavit illius mentem ad lucem incorpoream & increatam, qualem nunquam nec sensu, nec intellectu perceperat. Ita nempe contemptus sapientiæ humanæ attollit ad divinam.

C A P. XI.

Creaturas nec omnino esse, quia Deus non sunt, nec omnino non esse, quia à Deo sunt.

I. **E**T inspexi cætera infra te, & vidi nec omnino esse, nec omnino non esse. Esse quidem, quoniam abs te sunt: non esse autem, quoniam id, quod es, non sunt. Id enim vere est, quod incommutabiliter manet. *Mihi autem inharere Deo bonum est: quia si non manebo in illo, nec in me potero. Ille autem in se manens innovat omnia. Et Dominus meus es, quoniam bonorum meorum non eges.* Psal. 7. 23. Sap. 7. 17. Psa. 15. 2.

V S V S.

Vere Deus bonorum nostrorum non eget, nihil enim & nihili sumus nos, & omnia nostra, quia mutabilia & instabilia: quibus non eget Deus immutabilis magis, quam fons rivulis, & sol nostris oculis.

C A P. XII.

Omniem substantiam corruptibilem bonam esse, quia nisi bona esset, corrumpi non posset.

1. **E**T manifestatum est mihi, quoniam bona sunt, quæ corrumpuntur; quæ neque corrumpi possent, si summa bona essent: neque nisi bona essent, corrumpi possent. Quia si summa bona essent, incorruptibilia essent: si autem nulla bona essent, quod in eis corrumperetur, non esset. *a* Nocet enim corruptio, & nisi bonum minueret, non noceret. Aut igitur nihil nocet corruptio, quod fieri non potest: aut, quod certissimum est, omnia quæ corrumpuntur, privantur bono. Si autem omni bono privabuntur, omnino non erunt. Si enim erunt, & corrumpi jam non poterunt: meliora erunt, quia incorruptibiliter permanebunt.

2. Et quid monstrosius, quam ea dicere omni bono amisso facta meliora? Ergo si omni bono privabuntur, omnino nulla erunt. Ergo quamdiu sunt, bona sunt. Ergo quæcunq; sunt, bona sunt. Malumque illud, quod quærebam, unde esset, non est substantia: quia si substantia esset, bonum esset. Aut enim esset incorruptibilis substantia, magnum